



## LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓIFJÚSÁG SZÁMÁRA

Moderator (szerkesztő) ephemeridis Iosephus Wagner DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. szám /telephon: 68-6-34), ad quem epistulae et manus scripta mittantur.

Administrator (kiadó) ephemeridis Alexander Regnyi, Budapest, VII., Barcsay-utca 5. szám /telephon: 49-2-15) ad quem pecuniae quaecunque dirigantur. (Postatak. csekksz. 57.292.)

Prodit Budapestini decies in anno. Preium subnotationis an. 1934—35. est pro Hungaria 3 pengő; pro exteris nationibus 4 pengő.

## Literae Suae Eminentiae, Iustiniani Serédi.

Exemplar fasciculi VII., in quo autographas benignissimas Suae Sanctitatis, Summi Pontificis ad principem primatem nostrum directas publicavimus, involucro<sup>1</sup> ornatissimo<sup>1</sup> conglutinatum<sup>1</sup> Suae Eminentiae dedicare ausi sumus subscriptib⁹ praeside societatis, cuius sumptibus Iuventus prodit. Responsum clementissimum principis ecclesiae Hungaricae iam hic publicare potuisse nos magnopere iuvat.

**MAGYARORSZÁG  
HERCEGPRIMÁSA**

Illustrissime ac A. Rev.<sup>2</sup> Domine Director Superior!

Maximo me gudio affecerunt<sup>3</sup> humanissima<sup>4</sup> obsequia<sup>4</sup> Vestra, quibus exemplar ephemeridis, quae inscribitur „Iuventus“, quaeque augustas Sanctissimi D. N. Pii Papae XI. litteras ad me nuper directas publicaverat, mihi porrigeret<sup>5</sup> voluistis. Pro quo signo pietatis filialis erga Iesu Christi in terra Vicarium,<sup>6</sup> itemque venerationis erga Hungariae Primatem, grates ex intimo corde rependo,<sup>7</sup> peroptoque, ut studium linguae Latinae (quae simul est etiam lingua S. M.<sup>8</sup> Ecclesiae) inter iuventam colere et promovere, ipsamque iuventam virtutibus confirmare et cumulare feliciter pergatis.<sup>9</sup>


In reliquo paterna necessitudine<sup>10</sup> persisto<sup>11</sup> Strigonii, die 30 Martii 1935.

<sup>1</sup> díszkötésű felzethen    <sup>2</sup> ad-  
modum reverende = reveren-  
dissime    <sup>3</sup> töltött el    <sup>4</sup> szives  
figyelmesség    <sup>5</sup> eljuttat    <sup>6</sup> hely-  
tartó    <sup>7</sup> nyilvánít    <sup>8</sup> Sanctae  
Matris    <sup>9</sup> folytat = tovább is  
<sup>10</sup> vonzalom    <sup>11</sup> maradok    <sup>12</sup> archi-  
episcopus.

Princeps Primas Hungariae,  
Aepp.<sup>12</sup> Strigonien.

*Iustinianus Card. Serédi*

Per.  
Lat  
020

**Xanthus sponzionem<sup>1</sup> vincit.**

Xanthus (saeculo VI. a. Chr. n.), ille clarissimus philosophus Graecorum aliquando in convivio iam ebrius<sup>2</sup> discipulos suos sponzionem provocavit dicens se mare epotaturum<sup>3</sup> esse, quin etiam annulum pretiosum uni ex discipulis pignori<sup>4</sup> opposuit.<sup>4</sup> Postero die Xanthus sobrius<sup>5</sup> annulum digito suo deesse sensit. Aesopus, servus eius, propter sponzionem insipienter factam de annulo domo interrogante omnia, quomodo facta essent, enarravit. Cum autem Xanthus rogaret eum, ut consilium daret, quā causā<sup>7</sup> praetendendā<sup>7</sup> pignora recuperare posset, Aesopus consilio ingenioso bene herum<sup>8</sup> praecepit.

Cum tempus maris epotandi advenisset, Samii iudices sponzionis litus maritimum peti-

verunt, ut Xanthum vinci viderent. Qui autem haec multitudini dixit: «Samii! Pignus<sup>9</sup> posui<sup>9</sup> cum vobis de aqua maris epotanda, sed sine aquis profluentibus. Ergo pignerator<sup>10</sup> cursus fluminum intercludat, ne aqua eorum in mare influat. Fluminibus paeclusis, quae promisi faciam».

Samii sollertia<sup>11</sup> philosophi admirabantur, qui annulo recepto magnā catervā comitate laetus domum rediit.

*Jul. Vattamány*

disc. gymn. Quinque Ecclesiarum.


<sup>1</sup> fogadás <sup>2</sup> ittas <sup>3</sup> kiissza <sup>4</sup> elzálogosit <sup>5</sup> józan <sup>6</sup> oda van <sup>7</sup> ürügyet felhoz <sup>8</sup> gazdáját <sup>9</sup> fogadtam <sup>10</sup> zálognevő <sup>11</sup> leleményesség.

**Passercula.**

Erat parva puella, unicum solacium aviae.<sup>1</sup> Capillos nigros<sup>2</sup> et oculos caeruleos<sup>2</sup> habebat, mirabilis splendore, quotiescumque ridebat et immensa altitudine, sicut lacus gemini, limpidissimi,<sup>3</sup> in quibus coelum delectatur seipsum spectare posse inter montes solitarios.<sup>4</sup> Puella erat colore albiore nive et ore semper surridenti, quam avia, quia saltando et canendo fecit omnia sua itinera, passerculam<sup>5</sup> nominavit. Passerculam, quia et pauperrima erat.

— Passercula — inquit aliquo die — iam desiit<sup>6</sup> pluere, et ut vides, non habemus lignum super foco.<sup>7</sup> Vespare autem instat<sup>8</sup> festum,<sup>9</sup> festum Sancti pagi<sup>10</sup> nostri. Hoc vespero in omnibus casis coena sollemnissima paratur, vigilia<sup>11</sup> celebratur.<sup>12</sup> Si exieris in silvam et reportaveris ramos aridos,<sup>13</sup> quod castanearum adhuc restat, etiam ego ad coenam comparabo. I passercula mea, i, inter coquendum et hymnos cantabimus et fabulam pulcherrimam tibi narrabo — et amplexa<sup>14</sup> eam osculata<sup>15</sup> erat capillos eius in sole refulgentes.<sup>16</sup>

Et iam cucurrit puellula saltando et canendo, ut solita erat. Corculum<sup>17</sup> eius plenum erat gaudii, quia avidissima erat fabu-



Sacellum Thomae Bakócz in aede cathedrali Strigoniensi.

<sup>1</sup> nagyanya <sup>2</sup> kék <sup>3</sup> kristálytiszta <sup>4</sup> magányos, a világtól messze levő <sup>5</sup> kis veréb <sup>6</sup> megszűnik <sup>7</sup> tűzhely <sup>8</sup> beköszönt <sup>9</sup> ünnep <sup>10</sup> falu <sup>11</sup> előest <sup>12</sup> ünnepel <sup>13</sup> száraz <sup>14</sup> megölél <sup>15</sup> megcsókol <sup>16</sup> felfragyog <sup>17</sup> szívecske.

larum. Et hilaritas,<sup>18</sup> innocentia et pulchritudo comitabantur<sup>19</sup> gressus eius. Et iam brevi in silvā erat et perscrutabatur,<sup>20</sup> ubi essent rami aridi sub arboribus. O quam iucundum erit post occasum solis in casā tenebrosā unā sedere cum aviā, quando flammea verberabunt ollam<sup>21</sup> castanearum plenam, sic, ut in parietibus umbrae saltitent et scintillae<sup>22</sup> volitent in silentio pacis! Et cantare interdum hymnos aligeros<sup>23</sup> et exaudire fabulam de finibus malorum et bonorum!

Sed hodie iam ultimae castaneae coquentur, venit ei in mentem. O quam pauperes factae sumus, quae non multo ante, dum pater vivebat, rebus secundis utebamur.<sup>24</sup> Et post etiam mater mortua est. Illi iam in coelis sunt et fortasse nunc, ante vigiliam colloquuntur cum Sancto pagi. Et fortasse de sorte miserā pauorum, etiam filiolae eorum, passerculae. Fieri non potest, quin curam habeant passerculae et oculis comitentur laborem eius.

— Videlis — dixit sublatis<sup>25</sup> in coelum oculis — me procedere<sup>23</sup> pedibus nudis et vestem meam quam sit detrita.<sup>27</sup> O patercule et matercula misereat vos filiolae vestrae!

Lacrimae per genas<sup>28</sup> lapsae sunt et cum detergere vellet, ecce refulget aliquid in herba. Illo ipso momento temporis arripuit: moneta<sup>29</sup> erat. Vere sine dubio, moneta. Commota levavit oculos ad coelum: Gratias, parentes carissimi, quod exaudistis me. Et felicissima volvebat monetam in manibus, utrum moneta vera esset. Moneta vera erat et voluta iterum atque iterum refulgebat. Raptim<sup>30</sup> colligebat et colligebat<sup>31</sup> ramos puellula et quasi alas haberet volabat descendens per colles. Quantum valeret,<sup>32</sup> id agitabat animo. Quantum valeret, irritavit<sup>33</sup> corculum quaestio gravis. Multum, sine dubio multum. Moneta aurea plurimum valet et veste terere incepit monetam, ita ut flavo colore auri splendere coepisset. Ecce aurum fulgore probat<sup>34</sup> scriptum! Quid hoc thesauro<sup>35</sup> emi potest? Quid feram aviae? O sancta vigilia, quomodo celebraberis hodie in casa nostra! Quid feram aviae? Res non est prae-festinanda,<sup>36</sup> sed candelis<sup>37</sup> certe opus est. Et cras, die festo Sancti, ova, perna,<sup>38</sup> oleum, farina,<sup>39</sup> lac et si fieri potest, paulum vini etiam opus sunt. Imo et calceis<sup>40</sup> eget avia; quomodo meabit<sup>41</sup> hieme insequenti, si calceos non

habeat? Et aspexit etiam pediculos suos nudos, squalentes<sup>42</sup> terra et rubentes lapidibus et spinis.<sup>43</sup> Si forte et mihi comparari possent calcei, cogitabat secum. Sed utrum haec monetā, etsi aureā, omnia ista comparari<sup>44</sup> possint? Et haec tanto maiore angore<sup>45</sup> volvebat animo, quanto magis appropinquabat pago. Iam videbatur inter casas forum parvum et in foro taberna<sup>46</sup> unica, ubi quaecunque res emi poterant. Timide intrabat tabernam, ubi duo viri colloquebantur: mercator et dominus Petrus, sacerdos pagi.

— Quid tibi vis puellula, interrogavit eam mercator.

— Candelas, panem, ova, saccharum<sup>47</sup> velim.

— Nihil aliud? Totam tabernam vis, ioculabatur<sup>48</sup> mercator.

— Farinam, oleum, etiam aliquid castanearum. Et calceos quoque, si accommodati<sup>49</sup> emi possint.

— Et habes pecuniam ad haec omnia solvenda,<sup>50</sup> interrogavit mercator admiratione affectus.

— Certissime. Ecce monetam auream.

Mercator monetam acceptam primum inspexit diligenter, dein saltare fecit in mensa. Moneta nihil tinniens<sup>51</sup> recidit in mensam.

— Moneta aerea, vetus, dixit quiete. Nihil valet. Quis te misit huc, continuavit<sup>52</sup> interrogare.

Passercula nihil respondit. Oculis immotis, facieque pallida stabat ante mercatorem. Fieri posset, ut ei parentes monetam misissent, quae nihil valeret? Et dominus Petrus, sacerdos pagi videns vultum eius confusum<sup>53</sup> et obumbratum:<sup>54</sup>

— Dic mihi — inquit — filiola, quis tibi hanc monetam dedit?

Et tum passercula inter fletum enarravit, quid accidisset ei ramos colligenti in silva.

— Noli flere filiola mea — consolabatur<sup>55</sup> eam sacerdos pagi — noli flere! Parentes tui amant te in coelis, et Sanctus noster consulit tibi. Vade domum filiola mea!

<sup>18</sup> vidámság <sup>19</sup> kísér <sup>20</sup> kutat <sup>21</sup> fazék <sup>22</sup> szikra  
<sup>23</sup> szárnyas <sup>24</sup> jó sorsban élni <sup>25</sup> felemel <sup>26</sup> jár <sup>27</sup> elnyűtt  
<sup>28</sup> arc <sup>29</sup> pénzdarab <sup>30</sup> gyorsan <sup>31</sup> összeköt <sup>32</sup> ér <sup>33</sup> iz-gat <sup>34</sup> igazol <sup>35</sup> kincs <sup>36</sup> elsiet <sup>37</sup> gyertya <sup>38</sup> sonka  
<sup>39</sup> liszt <sup>40</sup> cipő <sup>41</sup> járkál <sup>42</sup> piszkos <sup>43</sup> tüske <sup>44</sup> meg-vásárol <sup>45</sup> aggály <sup>46</sup> bolt <sup>47</sup> cukor <sup>48</sup> tréfálkozik <sup>49</sup> meg-felelő <sup>50</sup> kifizet <sup>51</sup> cseng <sup>52</sup> folytat <sup>53</sup> zavart <sup>54</sup> el-borult <sup>55</sup> vigaszta.

Et passercula oculis rubentibus et turgidulis<sup>56</sup> intravit casam, et vix aviae aliquid reffere<sup>57</sup> poterat, cum ingressus est puer mercatoris cum sarcina<sup>58</sup> magna...

Vapor palpitabat<sup>59</sup> ollam et castaneas olebat<sup>60</sup> tota domus. Et circum focum non umbrae, sed lumina saltare videbantur et quando hymni cessabant,<sup>61</sup> non avia, sed passercula narravit.

Fabulam italicam (G. Nazzari Beltrame) libere reddidit.

I. Guelmino.

<sup>56</sup> dagadt <sup>57</sup> elmesél <sup>58</sup> csomag <sup>59</sup> kocogtat <sup>60</sup> valamit  
éreztet szaggal = valamilyen szaga van <sup>61</sup> szünetel.

## Eugenius Pintér professor Universitatis.

Post Franciscum Toldi, Paulum Gyulai et Zoltanum Beöthy nemo unquam se<sup>1</sup> in historiam litterarum Hungaricarum adeo abdidit,<sup>1</sup> quam rector superior districtus<sup>2</sup> Budapestensis doctissimus, Eugenius Pintér, cuius singularis operibus Academia Scientiarum Hungarica magnum praemium et Societas Petőfiana praemium centennarium tribuerunt. Eugenius Pintér pro meritis de historia litterarum Hungaric. in numerum sodalium Academiae Scientiarum Hungaricae et Academiae Sancti Stephani, Societatis Kisfaludyanae atque Societatis Petőfianae ascitus est, item praeses creatus est Societatis Historiae Litterarum Hungaricarum ab se ipso conditae, cuius ephemeridem «Historia Litterarum» inscriptam ipse redigit.

Nuperrime, cum iam VII. volumen operis grandiosi<sup>3</sup> paene 6000 paginorum, in quo historia litteraturae Hungaricae a paganis<sup>4</sup> usque ad nostrum aevum perducta tractatur, in medium<sup>5</sup> prodiret,<sup>5</sup> vir eruditonis singularis<sup>6</sup> ab Universitate Szegedinensi titulo professoris



publici ordinarii donatus est, quo honore neque viri illustrissimi nisi perrarē<sup>7</sup> afficiuntur. Quoniam approbatio gubernatoris quoque enuntiata est, non praetermittere possumus, quin gratulationem Iuventutis ex imo pectore professori Eugenio Pintér interpretemur, qui ex animi<sup>8</sup> sententia<sup>8</sup> fautor est studiorum Latinorum. Etenim in grande suum opus supra dictum etiam litteraturam Latinam Hungariae totam rettulit, necnon<sup>9</sup> certaminibus<sup>10</sup> studiorum<sup>10</sup> linguam Latinam inseruit.

Lectores et socii Iuventutis, clamate nobiscum: Professor Eugenius Pintér ad supremum aetatis humanae finem saluti patriae vivat, floreat!

<sup>1</sup> elmélyed <sup>2</sup> tankerület <sup>3</sup> nagyszabású <sup>4</sup> pogány <sup>5</sup> meg-jelenik <sup>6</sup> páratlan <sup>7</sup> a legritkább esetben <sup>8</sup> meggyőződések  
<sup>9</sup> hasonlóképpen <sup>10</sup> tanulmányi verseny.



Adsunt, advenerunt<sup>1</sup> ciconiae  
nostrae!

Scripsit Desiderius Bielek.  
(Imagem pinxit Emericus Fogl III. cl. gymn.)

Postrīdie Calendas Aprīlēs iterum rediērunt ad nōs cicōniae, magnae illae pulchraeque et dilectissimae<sup>2</sup> planitiei Hungaricae<sup>2</sup> avēs,<sup>2</sup> quās quotannis<sup>3</sup> summo cum gaudio exspectāmus salūtāmusque. Ante hos LXXXV annos, semestri post clādem ad Világos,<sup>4</sup> anno MDCCCL-o poēta noster, Michaēl Tompa, redeuntibus vēre cicōniis (in carmine «Ad cicōniam») ita suspīrāvit:<sup>5</sup> «Tu fēlicior es, quam nōs, cāra avis: tibi duās patriās fāta dedērunt, nōbis ūna tantum — fuit, ūnicamque illam ecce amīsimus». Sāne<sup>6</sup> duās patriās cicōnia habēre vidētur, alteram in extrēmā meridiānā Africæ parte, alteram hic in mediā Eurōpā. Vēra tamen eius patria hic apud nōs est, tantum

<sup>1</sup> itt vannak, megjöttek <sup>2</sup> a magyar alföldnek (kedvelt) kedves madarai <sup>3</sup> évenkint <sup>4</sup> egy félévvél a világosi fegyverletétel után <sup>5</sup> így sóhajtott föl <sup>6</sup> csakugyan.

hic nīdum sibi facit,<sup>7</sup> hic pullōs suōs<sup>8</sup> ēducat.  
Puerī Hungarici<sup>9</sup> omnēs valdē amant cicōniām.  
Itaque certē grātissima erit minimis ephē-  
meridis nostrae amicīs haec rānārum et cicō-  
niārum imāgo ā parvulō lectōre dēpicta,<sup>10</sup>  
libenterque nonne<sup>11</sup> ad verbum ēdiscētis<sup>12</sup> ca-  
nōrōs hōs versiculōs, qui hic sequuntur :

Rānae sub aquā, sub aquā sunt  
et ibi iucundissime vivunt,  
sed ubi cum gaudiō magnō  
proferunt caput, collum ē stagnō,  
cicōnia alba extemplō  
cōrripit miserās rostro  
et avide dēvorat cibum,  
filiī quoque portat in nīdum.

<sup>7</sup> rak magának fészket <sup>8</sup> fiókáit <sup>9</sup> a magyar gyerekek  
mind <sup>10</sup> amelyet egy kis olvasónk rajzolt meg <sup>11</sup> úgy-e  
<sup>12</sup> megtanuljátok (szóról-szóra) könyv nélkül.

## Septem nummi.

Narratiuncula Sigismundi Móricz, Latine vertit Carolus Acs.

Bene a diis comparatum<sup>1</sup> est, ut etiam pauperculis hominibus cachinnare<sup>2</sup> liceat. Casulae ut ploratibus et fletibus, ita cachinnis personant<sup>3</sup> atque etiam nequit negari pauperculos saepe ridere, cum plus habeant, quod fleant, quam quod rideant.

Probe novi huiusmodi homines. Suboles<sup>4</sup> illa gentis Soós, a qua pater meus oriundus erat, gravissimas inopiae conditiones experta est. Eo tempore pater meus in officina quadam machinarum mercennariam<sup>5</sup> operam<sup>5</sup> factitabat. Verum enim illorum vitae suae temporum non est laudator et ostentator. Atqui<sup>6</sup> res sic se habuit. Atque id quoque verum est me per totam vitam, quae mihi futura est, non tam multos cachinos<sup>7</sup> editurum<sup>7</sup> esse, quam illis pueritiae meae temporibus paucis edidi.

Verum neque<sup>8</sup> est,<sup>8</sup> quod<sup>8</sup> cachinnem, cum desit mihi mater rubrā facie atque hilari animo, quae tam dulce ridebat, ut denique lacrimae ex oculis manarent<sup>9</sup> et tussi quassante paene suffocaretur.<sup>10</sup> Sed ne ipsa quidem tantos unquam sustulit cachinos, quam cum totum meridiem septem nummos queritando consumpsimus. Quaeritantes invenimus tres in arca machinae, unum in armario, ceteri difficiilius praesto erant.



PINXIT EMERICUS FOGL. 3. cl. 3.

Tres priores nummos ipsa repperit, plures in arca machinae reperturam suspicabatur, quia vestimenta suebat<sup>11</sup> mercede atque pecuniam, quae ei pro mercede numerabatur, ibi collocabat. Mihi quidem arca machinae pro thesauro erat, unde, cum manum in eam inserueram,<sup>12</sup> illico quasi quaedam mensa variis rebus exstructa<sup>13</sup> emicans<sup>14</sup> opulentiam<sup>15</sup> suam mihi porrigebat.<sup>16</sup>

Neque poteram satis non mirari, cum mater mea ibi scrutans acus, digitabula,<sup>17</sup> forficulas,<sup>18</sup> segmenta<sup>19</sup> limborum,<sup>19</sup> lina,<sup>20</sup> malleolos<sup>21</sup> dīruit<sup>22</sup> et disiecit<sup>22</sup> tandemque stupefacta :

— Sese, inquit, in occulto abdiderunt.

,Quaenam res?<sup>?</sup> inquam.

— Nummuli — inquit mater in cachinnum erumpens.

Extraxit arcam.<sup>23</sup>

— Acceditodium,<sup>24</sup> inquit, filiole, age investigemus improbos. O istos nummulos astutulos<sup>25</sup> ac fallaces!<sup>25</sup> Coxim<sup>26</sup> considens<sup>26</sup> ita arcam humi collocavit, quasi metueret, ne nummi inde evolent atque statim in modum papiliones<sup>27</sup> pileo<sup>28</sup> captantium invertit.<sup>29</sup>

Non potuimus non cachinnare.

— Ecce nummi intus sunt, — inquit mater ridibunda<sup>30</sup> neque arcam tollere conata est — si unus nummus superest, hic sit oportet.

Humi considens speculabar,<sup>31</sup> si alicunde quis nummulus nitidior proreperet. Nihil quid-

<sup>1</sup> van rendelve <sup>2</sup> kacagni <sup>3</sup> hangzani <sup>4</sup> ivadék <sup>5</sup> nap-  
számos munka <sup>6</sup> pedig <sup>7</sup> kacagásra fakadni <sup>8</sup> nincs miért  
<sup>9</sup> csurogtak <sup>10</sup> megfojtotta <sup>11</sup> varrt <sup>12</sup> benyúlt <sup>13</sup> meg-  
rakott <sup>14</sup> előugorva <sup>15</sup> gazdagáság <sup>16</sup> élém tárt <sup>17</sup> gyűszű  
<sup>18</sup> olló <sup>19</sup> szalagdařab <sup>20</sup> zsinór <sup>21</sup> gomb <sup>22</sup> szétkotor  
<sup>23</sup> fiók <sup>24</sup> gyere csak ide <sup>25</sup> huncut <sup>26</sup> leguggolva <sup>27</sup> lepke  
<sup>28</sup> kalap <sup>29</sup> leborította <sup>30</sup> kacagya <sup>31</sup> lestem.

quam ibi se movit. Re autem vera ne credidimus quidem in arca esse quidquam.

Inter nos intuentes risimus istum puerilem ludum et iocum.

Arcam cum fundo suo sursum<sup>32</sup> versam<sup>32</sup> cum attigissem, «Pst! inquit, caveto, nummus ne forte effugiat. Tu quidem nescis, quam pernix<sup>33</sup> animal sit nummus. Celeriter currit ut volvi videatur. Atque quam praeceps<sup>34</sup> volvitur!»

Laevorsum<sup>35</sup> dextrorum<sup>36</sup> nutavimus.<sup>37</sup> Plus semel usu<sup>38</sup> edocti<sup>38</sup> sumus celerrime nummos foras volvi.

Ex talibus meditationibus<sup>39</sup> cum nos colle-gissemus,<sup>39</sup> manum iterum extendi, ut arcam subverterem.

«Heus<sup>40</sup> tu, inclamavit mater, quid agis? Ego ita exterritus sum, ut subito digitos re-traherem, quasi focum<sup>41</sup> ardente attigissem.

— Cave tu puerule, pecuniae<sup>42</sup> prodige!<sup>42</sup> Ut cupid iam nummos profundere.<sup>43</sup> Scito eos nos tamdiu possidere, dum hic sub arca latent. Sine paulisper<sup>44</sup> ibi sint. Nam mi fili, vestimenta lavatura sum, ad lavandum sapone<sup>45</sup> est mihi opus, ad saponem vero emendum septem nummi opus sunt, minoris sapo non venit; tres iam habeo, quattuor desunt, hi hic habitant in ista casula,<sup>46</sup> sed nolunt inquietari, irā enim perciti abibunt nec eos amplius videbimus. Cave sis igitur, fili, pecunia quidem una res omnium difficillima<sup>47</sup> et fastidiosissima<sup>47</sup> est, quae nisi caute<sup>48</sup> atque honorifice<sup>49</sup> tractetur. tamquam dominula<sup>50</sup> primaria<sup>50</sup> offenditur.<sup>51</sup>

— Scin tu mi fili quosdam versiculos, quibus velut cochleae<sup>52</sup> eliciantur?<sup>53</sup>

Sic garrientes<sup>54</sup> identidem cachinnavimus. Tandem mirifici versus cochleam elicentes in buccam<sup>55</sup> venerunt.<sup>55</sup>

— Nummi, nummi egredimini  
Flamma, igni comburimini.<sup>56</sup>

Cum his dictis casulam subverti. Erant sub-tus<sup>57</sup> scrutata<sup>58</sup> et omnia genera quisquiliarum,<sup>59</sup> nummuli nulli erant. Mater tristis<sup>60</sup> et aegra<sup>60</sup> in arca scrutata est. Frustra:

— Quam doleo — inquit — quod mensam non habemus. Si arcum in mensa exinanissemus,<sup>61</sup> honoratius<sup>62</sup> se<sup>62</sup> habitam<sup>62</sup> sentiens<sup>62</sup> aliquot nobis nummulos edidisset.

*Finis sequitur.*

<sup>32</sup> felfordult <sup>33</sup> fürge <sup>34</sup> hanyatt-homlok <sup>35</sup> balra <sup>36</sup> jobbra  
<sup>37</sup> döltünk <sup>38</sup> tapasztaltuk <sup>39</sup> felocsúdtunk <sup>40</sup> jáj <sup>41</sup> tűzhely

<sup>42</sup> tékozló <sup>43</sup> kidobni, kiadni <sup>44</sup> egy kis ideig <sup>45</sup> szappan  
<sup>46</sup> házikó <sup>47</sup> nagyon kényes <sup>48</sup> óvatosan <sup>49</sup> tisztességgel  
<sup>50</sup> úri kisasszony <sup>51</sup> megsérítődik (megaprehendál) <sup>52</sup> csiga-biga <sup>53</sup> kicsalogat <sup>54</sup> csacsogás közben <sup>55</sup> eszembe öltöttek  
<sup>56</sup> megégték <sup>57</sup> alatta <sup>58</sup> lim-lom <sup>59</sup> szemét <sup>60</sup> elszontyo-lodva <sup>61</sup> kiürít <sup>62</sup> jobban megtisztelte érezte volna magát.



### Numerus certantium<sup>1</sup> in singulis gereribus gymnicorum.

In Hungaria, cum plus decies centena milia hominum se in gymnicis exerceant, octavus fere quisque operam<sup>2</sup> gymnicis dat.<sup>2</sup> Numerus certantium iam accuratissime computari<sup>3</sup> potest, sicut computatio statistica a societatibus gymnicis Hungaricis conscripta demonstrat:

	Certantes		
	Budapestini	in municipiis <sup>4</sup>	summatis
follipedium <sup>5</sup> .....	25.120	37.373	62.493
athletica .....	10.283	16.274	26.557
natatio .....	4.811	3.454	8.265
gymnastica <sup>6</sup> .....	4.045	3.969	8.014
luctatio <sup>7</sup> .....	1.104	861	1.965
ludus pilae more			
Britannico <sup>8</sup> .....	584	481	1.065
ludus «hockey» ...	624	205	829
ludus pilae in mensa <sup>9</sup>	530	288	818
pugillatio <sup>10</sup> .....	619	152	771
birota <sup>11</sup> .....	422	336	758
remigatio .....	585	124	709
ars gladii .....	396	251	647
follis pugnis missus <sup>12</sup>	610	—	610
solea nivalis <sup>13</sup> ...	388	42	430
pila tabellis missa <sup>14</sup>	169	—	169
patinatio <sup>15</sup> .....	88	14	102
<i>Summatim: ...</i>		50.378	63.824
			114.202

Exceptis follipedio et athletica Budapesti-num plures habet certantes, quam ceterae regni partes, quare omnes summa ope id agunt, ut etiam alia genera gymnicorum ab incolis regionalibus<sup>16</sup> magis exerceantur.

<sup>1</sup> versenyző <sup>2</sup> foglalkozik <sup>3</sup> kiszámít <sup>4</sup> vidéken <sup>5</sup> fut-ball <sup>6</sup> torna <sup>7</sup> birkózás <sup>8</sup> tenisz <sup>9</sup> ping-pong <sup>10</sup> öklözés <sup>11</sup> kerékpár <sup>12</sup> kézilabda <sup>13</sup> si <sup>14</sup> golf <sup>15</sup> korcsolya <sup>16</sup> vidéki.



## Calevala 1835—1935.

Tota hoc anno Finnia carmen epicum,<sup>1</sup> quod Calevala inscribitur, centum annis ante Helsingforsae<sup>2</sup> primum editum celebrat. Quod ne nobis quidem, Hungaris, qui artissimis eiusdem originis vinculis cum Finnis sumus coniuncti, silentio praeterire<sup>3</sup> licet, sed occasionem forte oblatam,<sup>4</sup> ut Calevalae mentionem faciamus, arripiamus oportet.


Antea nemo erat in Finnia, qui carmina fabulosa, quae per ora hominum ferebantur, colligeret litterisque mandaret. Elias Loenrotus, medicus divino quodam spiritu tactus<sup>5</sup> primus omnium carmina illa fabulosa, ex quibus natu-ram et indolem<sup>6</sup> Finnorum facile cognoscas, summo in periculo versari intellexit, quem per pauci tantum senum, qui ea memoriā adhuc tenerent,<sup>7</sup> inveniri possent Loenrotus ergo carmina illa in unum conferre litterisque man-dare<sup>8</sup> cepit consilium.<sup>9</sup> Ut quam plurimos ver-sus colligere posset, nulli parcerat labori<sup>10</sup> omniaque loca regionis Careliae ad orientem vergentis<sup>11</sup> etiam disiunctissima<sup>12</sup> peragrabat. At homines, qui ab omni cultu atque humanitate longe aberant, quasi terrore quadam affecti haud facile, ut versus recitarent, adduci potuerunt.<sup>13</sup>

Non tamen Loenrotus demisit animum,<sup>14</sup> nec destitit consilio,<sup>15</sup> sed omni virium contentione, ut id, quod sibi proposuit, ad finem perduceret,<sup>16</sup> enixus est, ita ut anno MDCCCXXXV. iam XII milia versuum a Loenroto in unum collecta, accurate concinnata<sup>17</sup> ac Calevala in-scripta edi potuerint.

At Loenrotus labore non intermisso<sup>18</sup> unā cum aliis viris doctissimis carmina ignota collecturus viam<sup>19</sup> est iterum ingressus.<sup>19</sup> Anno MDCCXLII. Calevala altero tanto<sup>20</sup> iam aucta et amplificata iterum prodiit.<sup>21</sup> In Hungaricum<sup>22</sup> Adalbertus Vikár, qui in litteris Finnorum diu multumque versabatur, optime et elegantissime vertit<sup>22</sup> Calevalam, quae ad hodiernum diem in 17 linguas translata est.

Periocha<sup>23</sup> brevissima Calevalae haec est : Calevala, cantor<sup>24</sup> epicus<sup>44</sup> senex et Vainomoinen, faber ferrarius<sup>25</sup> eandem sibi virginem in matrimonium petunt. Hic amuleto fabricato efficit, ut Ainonem pulcherrimam in matrimo-nium ducere possit. Ainone mox mortuā socii

Calevalae amuleto<sup>26</sup> magico<sup>26</sup> potiri<sup>27</sup> volunt, quod denique in certamine furibundo frangitur atque perit. Aemulatio procorum,<sup>28</sup> sponsalia,<sup>29</sup> nuptiae et pugnae tam iucunde descri-



Statua Loenroti et Vainomoinenis in urbe Helsingforsa.

buntur, quam in carminibus Homeri aut Nibelungorum.

Vincentius Gombári.

<sup>1</sup> eposz <sup>2</sup> Helsinki <sup>3</sup> elhallgatni, elhallgatással mel-lőzni <sup>4</sup> kínálkozó <sup>5</sup> ihletett <sup>6</sup> jellem <sup>7</sup> emlékezetben tar-tani, könyv nélkül tudni <sup>8</sup> írásba foglalni <sup>9</sup> elhatározni <sup>10</sup> semmi fáradságot sem kimélni <sup>11</sup> keleti <sup>12</sup> a legtávolabb eső <sup>13</sup> adducere = rávenni <sup>14</sup> elcsüggendni <sup>15</sup> tervétől el-állni <sup>16</sup> befejezni <sup>17</sup> elrendez, összhangba hozni <sup>18</sup> a mun-kát félbeszakítani <sup>19</sup> útnak indul <sup>20</sup> még egyszer annyival <sup>21</sup> megjelenik (*k̄nyo*) <sup>22</sup> magyarra fordítani <sup>23</sup> tartalmi kivonat <sup>24</sup> regős <sup>25</sup> kovács <sup>26</sup> varázstalizmán <sup>27</sup> készre-keríteni <sup>28</sup> kérők <sup>29</sup> eljegyzés.

### Salse dicta.

Alexander Magnus et Aristoteles. Alexander Magnus libenter imitabatur patrem Philippum bellicosum ; aliquando cum iterum in castra proficisci-eretur, praceptor reguli, illustris ille Aristoteles, conatus est retinere discipulum a pugna dicens : «Geras bellum, si maior eris !» «Sed timeo — respondit ad ea Alexander — ne adulescentiam audacem perdam.»

**Parva culina.**<sup>1</sup> Carolus V. imperator Germaniae salutandi causa veniens ad unum ex magistratibus summis constructionem interiorem domicilii miratus est, quod ab omni parte aptum et aequabile<sup>2</sup> erat culinā exceptā, quae mirum ad modum parva erat aedificata. Cæsari causam quaerenti magistratus summus respondit : «Maiestas, culina parva effecit, ut domicilium meum amplitudine<sup>3</sup> magnā esset.»

Species<sup>4</sup> formosa, sed intus inanis.<sup>5</sup> Olim Iosephus II. imperator, qui cum coronam regiam capitи imponi noluisset, ab Hungaris «rex pileum<sup>6</sup> gerens»<sup>6</sup> appellabatur, hospitio oppidi cuiusdam utebatur. Eo tempore evenit, ut monstraretur ei vir ornatissimus et inflatis-simus,<sup>7</sup> sed rudissimus<sup>8</sup> et sane impolitus.<sup>9</sup> Iosephus tum haec dixisse fertur: «Video vestes pulchras, comptum<sup>10</sup> Gallicum, annulos aureos gemmasque, sed mentem... nullam!» Species saepe nos fallit et saepe etiam sub pallio<sup>11</sup> trito<sup>11</sup> sapientia latet.

*Emericus Forro*  
(Ultraiecti in Batavia).

<sup>1</sup> konyha <sup>2</sup> egyötöntű <sup>3</sup> terjedelmű <sup>4</sup> külső <sup>5</sup> üres,  
tartalmatlan <sup>6</sup> kalapos <sup>7</sup> felfuvalkodott <sup>8</sup> faragatlan  
<sup>9</sup> üresfejű <sup>10</sup> hajviselet, frizura <sup>11</sup> viseltes köpeny.



**Sollemnia Horatiana** in dies nobis nuntiantur. Debrecini XX saecula Horatii per duo gymnasia Helveticae confessionis — puerorum



et puellarum — unā celebrata sunt. Orationem sollemnem rector superior *Ludovicus e nobilibus<sup>1</sup> Bessenyei* habuit. Chori cum symphoniacis<sup>2</sup> ducibus *Iulio Szigethy* et *Carolo Horváth* compositiones *Flemmingi*, *Zoltáni Kodály Iuliique Szigethy* magno cum applausu auditorum cantaverunt.

Orator gymnasii Scholarum Piarum Sátor-aljaújhelyiensis *Felix Szepesi* erat. Praeter declamationes cantus maxime placuerunt a Carolo Loewe, Hahnio, Zoltano Kodály et Iosepho Wagner compositi.

Auditoribus gymnasii *Jászberényensis* rector  
*Franciscus Józsy et Iulius Ujváry de Horatio*  
disseruerunt. Chorus discipulorum <sup>cantus</sup> Flemingi, Stephani Kozáky et Iosephi Wagner  
interpretati sunt.

In imagine nostra discipulos gymnasii Institutio Professoribus erudiendis adiuncti ante oculos ponimus, qui post orationem festivam professoris *Aloysii Jirka* cantando compositiones Horatianas illustraverunt, quanti ab auctoribus musicis poëta Romanus semper aestimatus esset. Omnes hi cantus Horatiani et

Libri dono accepti.

Dott. *Ladislao Heigl*: La malinconia nella poesia di Giovanni Pascoli. Budapest, 1934. Proprietà dell'autore.

*Maxime Leroy*: Hermannus a Woestenraedt : Canis evangelicus (carmen theologicum controversum Latinum etiam Gallice redditum). Éditions de la Société d'Art et d'Histoire, Liège, 1933. Extrait du «Bulletin de la Société d'Art et d'Histoire du Diocèse de Liège».

*Antonius Molnár: Aesthetica musicalis et scientia spiritualis. (Zeneesztétika és szellemtudomány.) Budapest, 1935. Editio auctoris. Academia Artis Musicae.*

*Alma Roma: Latinitatis Praeconium singulis  
mensibus editum. Ann. XXII. Fasc. III. Mart. 1935.*  
— Aequandaene mulieres viro in omnibus disciplinis? — De voce latina apte collocanda. — Animalia mirabiliter demigrantia. — Nymphaeum (carmen). — De medicinae ortu, obiectu et fine. — De quibusdam animalium exemplaribus Marsilianis. — De renovando apud omnes gentes latinæ linguae usu. — Annales. — Varia. — De Roberti Scotti nauarchi Angli, itinere Antarcticō.

<sup>1</sup> vitéz <sup>2</sup> zenekar.

multi alii inveniuntur in anthologia musica Iosephi Wagner, quae inscribitur: «Carmina Horatii selecta ad modos<sup>3</sup> aptata.»<sup>3</sup> Collectio venale prostat<sup>4</sup> apud *I. Fraknóy*, Budapest, VIII., Trefort-utca 8. Pretium est pro Hungaria 2 pengő, pro exteris nationibus 3 pengő. Lectoribus «Iuventutis» pretium 40%-is minutum constituitur.

Amatoribus Horatii annuntiatio,<sup>5</sup> quae sequitur, commendatur:

Die<sup>6</sup> propagandis libris Hungaricis destinato<sup>6</sup> (III. Nonas Iunias) huiusce anni, bis millesimi, ex quo celeberrimus Romanorum poëta natus est, in lucem edentur

#### Carmina Q. Horatii Flacii

Selecta a *Iosepho Trencséni* recens,<sup>7</sup> numeris<sup>8</sup> Horatii propriis observatis, in sermonem nostrum patrum versa. Lectoribus Iuventutis a nobis dimittentur et iis quidem, qui ea sibi litteris suis usque ad Calendas Iunias nobis allatis mitti curabunt<sup>9</sup> pretio minuto,<sup>10</sup> quod erit pro singulis chartae involutis<sup>11</sup> exemplaribus pengő 1, pro linteo compactis<sup>12</sup> 1·50.

**Cena unius cibi.**<sup>13</sup> Ingeniose in Germania quaestu<sup>14</sup> parentibus<sup>14</sup> aliisque pauperibus subvenitur. Singulis mensibus tertio die Solis<sup>15</sup> omnibus in popinis,<sup>16</sup> cauponis<sup>16</sup> et deversoriis<sup>16</sup> cena tantum unius cibi hospitibus apponitur, cuius quamquam sumptus<sup>17</sup> proprius<sup>17</sup> 40 numeros<sup>18</sup> superare non potest, hospes tamen pretium solitum cenae<sup>19</sup> fixae<sup>19</sup> solvere debet. Quā ex differentiā, cum in deversoriis magnis primae<sup>20</sup> notae<sup>20</sup> cena 4—5 marcarum est, his extremis sex mensibus 250 centena milia marcarum largitioni<sup>21</sup> relicta sunt.


**Naves submarinae** iterum in Germania construuntur. Quis enim aut vetare aut prohibere auderet vel posset? Giganter,<sup>22</sup> sicut Gulliver in fabula Swiftii, catenas a pumilionibus<sup>23</sup> iniectas

decussit et ius aequalitatis sibi primo impetu recuperavit, dum nos, populi parvi, Hungari, Austriaci et Bulgari, idem ius humanum recipiendi causa Nationum Societati supplicamus, tamquam mendici stipem<sup>24</sup> colligentes.<sup>24</sup>

**Terra motus**<sup>25</sup> omnia fere oppida et pagos insulae Formosae diruit. Multa milia hominum ruinis oppressi sunt, ceteri domibus omnibusque rebus ad vitam necessariis amissis auxilio hominum egent. Quis non admiretur cum<sup>26</sup> amorem patriae Iaponum, qui toties calamitatibus naturae afflitti tamen terrae patriae adhaerent,<sup>27</sup> tum<sup>28</sup> etiam spiritum<sup>29</sup> Iaponicum, qui cum Britanni incolis Formosae navibus ferratis<sup>30</sup> subvenire vellent, responderunt non esse opus beneficiis Britannorum, se enim iam naves quae cibos medicamina aliasque res necessarias afferent statim misisse!

**Loca deserta Saharae luminibus**<sup>31</sup> collucent.<sup>31</sup> Sicut ex urbe Cairo nuntiatur, quia solitudines Saharae non solum crebris<sup>32</sup> camelorum agminibus,<sup>32</sup> sed automobilibus atque aeroplanis in

<sup>3</sup> megzenésít <sup>4</sup> kapható <sup>5</sup> hirdetés <sup>6</sup> magyar könynap  
<sup>7</sup> újonnan <sup>8</sup> mérték, ritmus <sup>9</sup> megrendel <sup>10</sup> kedvezményes  
<sup>11</sup> kartonfedelű <sup>12</sup> vászonkötésű <sup>13</sup> egyfogásos ebéd <sup>14</sup> munkanélküli <sup>15</sup> vasárnap <sup>16</sup> kocsma, vendéglő és szálloda <sup>17</sup> önköltség <sup>18</sup> pfennig <sup>19</sup> menü <sup>20</sup> elsőrendű <sup>21</sup> jótékony cél <sup>22</sup> óriás <sup>23</sup> törpe <sup>24</sup> alamizsnát kereget <sup>25</sup> földrengés <sup>26</sup> egyrészt <sup>27</sup> ragaszcodnak <sup>28</sup> másrészr <sup>29</sup> önérzet <sup>30</sup> páncélos (hadi) hajó <sup>31</sup> ki vannak világítva <sup>32</sup> karaván.



Fiume.

dies pluribus peragrantur, providetur, ne quis noctu a via aberret. Viae principales columnis coloratis longe conspicuis monstrantur, noctu autem lampadibus electricis ingentis<sup>33</sup> splendoris<sup>33</sup> collustrantur, quo certior directio aeronautis nocturnis ostenderetur.

**Teloneum<sup>34</sup> Hungaricum in oppido Fiume** nuperrime institutum est. Anno 1918. bello gentium finito exactores<sup>35</sup> portorii<sup>35</sup> Hungarici portum sumptibus nostris aedificatum reliquerunt. Nunc demum inter Austriacos, Hungaros et Italos convenit, ut negotiorum<sup>36</sup> rationes<sup>36</sup> faciliores et crebriores fierent. Cum ante pacem Trianonicam merces nostra per portum Fiumanum exportarentur eademque viā merces transmarinae invehementur, nunc telonariis<sup>35</sup> Hungaricis aedificium negotiationem<sup>37</sup> mutuam accelerandi causa traditum est.

<sup>33</sup> hatalmas fényerejű <sup>34</sup> vámhivatal <sup>35</sup> vámtiliszviselők  
<sup>36</sup> üzleti összeköttetés <sup>37</sup> forgalom.



### Locosa.

*Hortulanus* (ad puerum in summa malo sedentem) : Heu, nequam, poma furaris ex meo horto. Ubi est pater, volo ei dicere te furatum esse.

*Puer* (ridens) : In altera arbore.

\*

*Professor*: Dic mihi, mi fili : unde cognoscis morbum gravem esse?

*Discipulus*: De morte aegroti.

\*

*Puerulus* (ad magistrum) : Dic mihi, queso, Domine magister: cur influit sanguis in caput, si desuper pendet, in pedes enim non influit.

*Magister*: Causa huius rei inanitas capititis est.

*Victor Kósa*  
disc. VII. cl. rgymn. Keszthelyensis.

1. Aegrotus ad medicum, qui inflammatio nem<sup>1</sup> pulmonum<sup>1</sup> sanavit :

— Quantum debo tibi domine?

— Quoties te visitavi, toties trecentos stercios debes.

— Id est duplum soliti.

— Recte. Scilicet etiam inflammatio ambos tibi pulmones adorta est.

\*\*\*\*\* \*

2. Iuvenis ad socium, inter ambulandum :

— Certe, qui morem<sup>2</sup> huius aestatis sequitur, petasum stramineum gestat. Sicut ego quoque.

Illo ipso momento ventus petasum abripit, quem ille currendo sequitur, ut recipere possit.

— En — cachinnat alter — tu revera sequeris illum.

\*

3. Puer librum historiae in manu tenens mussitat :<sup>3</sup>

— En tibi, intelligas si potes, matricula me semper obiurgat, si nonnunquam in schola correctus<sup>4</sup> et castigatus<sup>5</sup> sum, et ecce in historia Ioannes Hunyadi maximā laude afficitur, quod semper correctus<sup>6</sup> et castigatus<sup>7</sup> fuerit.

*Eugenius Fenyőházi*  
disc. IV. cl. gymn. Univ.

— Cur fles Francisce?

— Quia me mater mea laesit.

— Quomodo?

— Baculo<sup>8</sup> patris mei.

\*

*Professor*: Explana<sup>9</sup> mihi, cur dies aestate longiores, quam hieme sint.

*Discipulus*: Lex simplex physicalis. Quia res calore extenduntur, eademque frigore contrahuntur.

\*

*Professor*: Computa<sup>10</sup> mihi, quantum sit dimidium unius tertiae?

*Discipulus*: Operae<sup>11</sup> pretium<sup>11</sup> non est computare, tam paucum.

*Johannes Törs*  
disc. IV. cl. rgymn. Univ.

\*

Studio<sup>12</sup> ad ferias domum redeunti senex rusticus occurrens<sup>13</sup> dicit :

«Domine studiose, audivi te pharmacopolem<sup>14</sup> futurum esse. Si Deus vult et ego valebo, medicamina semper in officina tua emam.

*Georg. Weisz*  
disc. rgymn.

<sup>1</sup> tüdőgyulladás <sup>2</sup> divat <sup>3</sup> magában beszél <sup>4</sup> rendre utasít <sup>5</sup> megdorgál <sup>6</sup> korrekt <sup>7</sup> önfegyelmező <sup>8</sup> pálya <sup>9</sup> kifejt <sup>10</sup> kiszámít <sup>11</sup> érdemes <sup>12</sup> diákok <sup>13</sup> találkozik <sup>14</sup> gyógy-szerész.

## Carmen legionum Romanarum.

Scripsit *Felix Dahn*. Latine reddidit *Guilelmus Boros*.

Agros pervadit Parthicos  
Romana legio  
Legesque docet Germanos  
Egressa Latio.

Victoriam consequimur,  
Sulco<sup>1</sup> scindemus<sup>2</sup> terram,  
Quam sanguis sparsit Dardanus  
Penatibus vovendam.



Nam ubi miles atque dux,  
Hic nostra patria :  
Focus, lares, coniunx, domus,  
Hic nostra omnia.

Lictorum cedunt<sup>3</sup> fascibus  
Silvae, aquarum stagna;<sup>4</sup>  
Uvae et olivae Latii  
Sunt vera nostra signa.

Quā Euphrates, Danubius  
Volvuntur, cultus larum,  
Urbs parva — Roma altera —  
Crescent agricolarum.

Viaeque ducent montium  
Aeternae per angusta;<sup>5</sup>  
In quis<sup>6</sup> agentur hostium  
Captivi ac tropaea.

Praefatur<sup>7</sup> nostra fata hoc  
Sacrum oraculum :  
«Vestrum peribit nunquam id,  
Quod est, imperium ;

Romana donec imperat  
His terris legio,  
Dis donec immolabitur<sup>8</sup>  
In Capitolio».

<sup>1</sup> barázda <sup>2</sup> hasít <sup>3</sup> meghátrál <sup>4</sup> állóvíz <sup>5</sup> szoros <sup>6</sup> quibus  
<sup>7</sup> megjövendöl <sup>8</sup> áldoz.

## Hypatia. (6.)

Scripsit *Carolus Kingsley*. Hungarice reddidit *Arpadus Zigdány*. Excerpsit atque in Latinum convertit: *Valentinus Fehér*.

Adolescens statim exsilit e lecto et decurrit in cavaedium,<sup>30</sup> quod iam plenum erat monachorum et presbyterorum.<sup>31</sup> Tum ipsum portae aperiebantur, et Philammo inter primos in viam egressus est. Sed oculi tenebris assuerti sic nocte lucida praestringebantur,<sup>32</sup> ut paulisper in limine considereret. Hac re vita eius servata est; nam eodem momento temporis<sup>33</sup> ex umbrā postis homo quidam exsiliens longum cultrum capulo tenus in pectore monachi ante Philammonem egressi infixit et celerrimo cursu ad plateam<sup>34</sup> vicinam fugit. — «Sequamini homicidam !»<sup>35</sup> — clamant obstupfacti monachi et statim nebulonem<sup>36</sup> insequi coeperunt.

Philammo ita brevi ceteros antevenit, ut iam solus Petrus eum passibus aequare<sup>37</sup> posset, cum repente homicida constitut et sibilavit,<sup>38</sup> tum e viis transversis<sup>39</sup> 50 fere homines se proripuerunt. Petrus actutum se convertit et retrorsum cucurrit; vestigia eius secutus est Philammo. At vix 100 passus ierat, cum aliquis e portā domus obscurā supplici voce precatus est: — «Auxiliamini, miseremini ! Ne me hic relinquatis, ut interficiar. Ego quoque sum Christiana.»

Philammo pressis pedibus<sup>40</sup> feminam Aethiopem e terrā sustulit, quae flens et tremens dixit, quid sibi accidisset: — «Tum e domo excurri, cum templum ardere clamabatur; Iudei me verberarunt.<sup>41</sup> Festinemus, obsecro, in hunc angiportum,<sup>42</sup> si vita tibi cara est». —

Erat eis maturandum, quia vulgus erat in cervicibus. Philammo mulierem partim ducens, partim ferens devertit celeriter in angiportum. Sed 4 nebulones eos conspicati continuo insecurti sunt, ceteri in via principali<sup>43</sup> surrepabant.<sup>44</sup> Philammo mulierem in obscuro portae

<sup>30</sup> udvar <sup>31</sup> áldozópap <sup>32</sup> elkáprázta <sup>33</sup> pillanat <sup>34</sup> utca  
<sup>35</sup> gyilkos <sup>36</sup> gazember <sup>37</sup> lépést tart <sup>38</sup> fütyent <sup>39</sup> kereszt-  
utca <sup>40</sup> megáll <sup>41</sup> megver <sup>42</sup> mellékutca <sup>43</sup> fűút <sup>44</sup> lopódzik.

recessu<sup>45</sup> deponit, ipse celeriter pone columnam resilit.

Tum primus insequentium advolavit; sed non viso Philammone anhelans<sup>46</sup> porro<sup>47</sup> in viā se proripuit. At iam insequenti momento temporis venit alter, qui ubi conspexit Philammone, obstupefactus seorsum<sup>48</sup> absiluit. Philammo maximo saltu insultavit,<sup>49</sup> tempora<sup>50</sup> percussit, cultrum extorsit<sup>51</sup> manui viri exanimis,<sup>52</sup> se erexit, in vultum tertii hominis persequentis eum infixit.

Homo vulneratus feroci clamore titubans incidit in quartum sodalem, qui auxilio ei veniebat. Philammo subito in eum incurrit et duos nebulones, priusquam emergerentur<sup>53</sup> ex admiratione, compupugit. Hi exsecrantes in fugam se dederunt, relicto humi sodale, quem adolescens primum percusserat.

Philammo iam mulierem reducebat, unde venerant, cum plateam tumultus iterum inundavit<sup>54</sup> et priusquam fugere possent, omnes vias interclusit.<sup>55</sup> Iam actum esse de se<sup>56</sup> putabat; at tum ad lumen lunae et taedarum<sup>57</sup> cognovit sacerdotes et presbyteros, quibus ipse Petrus lector diaconus praerat. — «Ah puer, gratias Deo, quod vivis. Laudetur Deus, quod nihil mali tibi accidit. Sed quis est iste? Certe sodalis eius, qui nobis in ipsas manus incurrit. Coniungite hos duos nequam.»<sup>58</sup>

Dum duos Iudeeos inter se copulant<sup>59</sup> et circumstant, ne aufugerent, Philammo circumspexit mulierem Aethiopem, quae tamen iam ex oculis evanuerat. Repente conclamavit aliquis templum Alexandri non ardere, sed Iudeeos invulgasse<sup>60</sup> ignem, ut Christianos somno excusso<sup>61</sup> furtim obtruncarent.<sup>62</sup> Tum in turbā contentio disputationis<sup>63</sup> exorta est, arderetne templum et quis illud ardere vidisset quisve famam periculi attulisset. Ardere nemo videbat ac nemo sciebat, quis esset auctor famae.

Tum aliquis magnā voce exclamavit Iudeeos venire; vulgus terrore percussum refugiebat ad domum patriarchae. Paulo post Philammo cum 20 fere aliis astabat coram Cyrillo.

— «Adest iuvenis — ait Petrus, — qui alterum captivum<sup>64</sup> percussit.» — «Tres me persequebantur — purgat se<sup>65</sup> Philammo, — ergo unus mihi percutiendus erat, ut arma ei adimere neque defendere possem.» — «Cur non aufugisti?» — quaerit Cyrilus. — «In terra

inveni feminam Aethiopem, quae a Iudaeis verberata et obtrita<sup>66</sup> erat; nolebam eam deserere, quia se Christianam esse dixit.»

*Ad numerum proximum.*

<sup>45</sup> mélyedés <sup>46</sup> liheg <sup>47</sup> tovább <sup>48</sup> félfé <sup>49</sup> rágrik <sup>50</sup> halánték <sup>51</sup> kicsavar <sup>52</sup> eszméletlen <sup>53</sup> magához tért <sup>54</sup> eláraszt <sup>55</sup> elzár <sup>56</sup> vége van <sup>57</sup> fenyőfáklya <sup>58</sup> mákvirág <sup>59</sup> köt <sup>60</sup> híresztel <sup>61</sup> felriaszt <sup>62</sup> megöl <sup>63</sup> heves vita <sup>64</sup> fogoly <sup>65</sup> mentegetőzik <sup>66</sup> elgázol.

## Aenigmata.

Terminus aenigmatum solvendorum VIII. numeri prolongatur usque ad diem 25. Mai.



Corrigenda numeri 8. (Mart. 1935.) pag. 84. pro *Kronstein: Kornstein.*

*Historicus.* Recte mones. Legatio enim Hungarica Pragensis revera flores in sarcophago Francisci Rákóczi Cassoviae collocare potuit. — *E. Forró Ultraiecti* in Batavia). Reclamationes transmisi collegae Ianson. Gratias pro recensione. — *M. Rácz.* Photographia thygatrogymnasi nominati de «Maria Teresia» in officina Goszlethi elaborata est. — *Dr. Philips* (Osnabrugae in Germania), *Aem. Láng, C. Mattyásoszky, Ad. Danczer.* Manuscripta promissa exspectamus. — *Dr. A. Potůček* (Tetseni in Tsecoslovacia). Ad te, domine director, litteras privatas dabo. — *M. Leroy* (Leodii in Belgica). Dissertationem accepi. Partem carminis fortasse publicabo. — *Lad. Nyáry.* Historiam Universitatis scribendam prof. Huszti suscepit. Sed de aliis rebus scribe sodes. — *I. Trencséni.* Novum interpretatorem Horatii amicaliter salutamus. Sic itur ad astra. — *Al. Loczka.* Si quae scholae extra Hungariam nostris cum discipulis litteras inter se dare et accipere volunt, utantur ephemeride nostra. — *Marc. Marko.* Periodi tui, rev. domine, cum fere sublimes volant, tum admodum difficiles lectoribus nostris sunt. Iuventus enim praeclipe a discipulis legitur. — *I. Guelmino, G. Kaul* (Scopae in Germania), *Fel. Gundán.* Gratias pro opusculis vestris. Tempore prodibunt. — *Frid. Orlóvszky.* Iocosa et curiosa tua publicabuntur, si latinitati retractandae vacavero. — *Car. Attányi.* Iocus tuus ephemeride sub prelum missā advenit. — De reliquis litteris proximā occasione.

*Conclusio 10. numeri adornandi 25. die Maii.*

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus

Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: DR. IOANNES KISPARTI, elnök.)